

bus quasi Dijs libasse Ioann. Stobæus (15) scribit : Idemque, (16) parentes post Deum plurimi fieri, quasi secundos, ac terre fratres Deos esse, & quasdam velut Deorum imagines. Vnde non omnino carere ratione videtur, quorumdam Philosophorum sententia, qui ut Agellius (17) refert, ita patri obsequendum existimabant, vt nihil in omnibus eius iussis à filio detrectare liceret. Quam in rem Pontanus (18) plura, nonnulla etiam Tiraquel. (19) scripsit. Nèque quod Simplicius Epicteti interpres opinatur, qui ut Guillelmus Fornerius (20) I. C. non incelebris tradit, cùm rationem inquireret propter quam patruus Thus appelletur (quod nostrati Tio respondet) ait: *Quod cum patres liberis sint quasi deos, id est Dei, qui tum proxime ad eos accedunt, & patru & avunculi appellati sunt. Et quamvis metu divinae maiestatis, parentes Deos nominare desierimus, veteris tamen eius nocte vestigia in patruorum appellatione remanserunt.* Quæ omnia in causa sunt, vt non inepte tentare videatur Franc. Conanus (21) filios, dum in patris manu & ditione consistunt, in parentum sacris (22) constitutos vocari, non, quòd eorundem privatorum familiarumque sacrorum participes essent, ut alij voluerūt, (23) sed quod filio pater in cuius potestate est, sacram quoddam & venerandum simulachrum, ut ex supra dictis colligitur, videri, & iudicari debeat. Quinimo & patres mortuos apud Romanos loco numinum a filiis habitos, & inter Penates relatos, latè Casaubonus (24) ostendit. Accedit his, quòd pietatis & venerationis ratione semota, non potuit parricidij crimen atrocissimis poenis non coerceri; nam si quòd natura inter nos cognationem quamdam constituerit, *cum nos*, vt inquit Seneca, (25) *ex eisdem, & in eadem gigneret*, hominē homini insidiari nefas esse Florentinus (26) concludit, & ut Cicero ait: *Si hoc natura perscripsit, ut homo homini, ob eam causam quòd homo sit, consultum velit: certè violare alterum lege naturæ prohibemur.* Quanto censeri debuit gravius, iniquiusque, filium in patrem, cui non generali humanitatis ratione dumtaxat conjungitur, sed eandem cum eo personam, eandem vocem, atque idem corpus habere putatur, (27) contra divinas om-

(15) Ioan. Stob. ser.

42.
(16) Idem Stob.

ser. 77. (23)

(17) Agell. lib. 2, cap. 7.

(18) Pontan. lib. de obedientia.

(19) Tiraq. de poen. temp. cauf. 34. n. 23

(20) Forner. lib. 1, select. c. 14.

(21) Conan. lib. 2, c. 13. nu. fin.

(22) L. cum oportet in princ. C. de bon. quæ, li. 6. I. filiæ licet. C. de collat. I. 1. S. fin. C. de ann. excep. cùm alijs.

(23) Alciat. I. præ term. Briss. lib. 17. ver. in sacris. Forc. dial. 15. nu. 1. Pinel. in Rub. C. de bon. 2 p. ex n. 4. vide etiā de sacris patern. Rævard. lib. 2. conjectaneor. cap. 11.

(24) Casaub. in notis ad Sueto. & rur sus in notis ad Ca-

pitol. pag. 108.

(25) Senec. 2. epist.

(26) Florent. I. C. in I. vt vim, de iust. & iur. facit I. non tan tum 6. D. de appellatio-

nation. (27) L. fin. C. de Imp. I. eum scimus, C. de agric. & cens. lib. 11. S. ei vero, inst. de inutil.

nes, & humanas leges s̄avire: Hostem ne alij prælio lacescerent, quām qui sacramento tenerentur, cautum apud Romanos Cœlius (28) commemorat, qui in hoc eos præmonstrare voluisse docet, ne hostem quidem interfici oportere, ni adigat summa & ea legitima necessitas. Vnde & Chrysostomus collaudauit Cyrus, quod hostem interfecturus, iam elatum in cædem gladium revocasset, eo quod receptui canere audisset. Quo igitur pacto præteri inulta eius immunitas poterit, qui non hostem, sed patrem à quo genitus, & educatus est, propter eam tantum causam occiderit, quod ab eo vitam acceperit? aut quo modo hanc plusquam beluina feritatem non execrabitur? cum Seneca (29) homines hominibus infestos esse miretur, dum inquit: *Si qua si erit aliquis, quæ causa hominem adversus hominem in facinus coagit? nam nèque feris inter se bella sunt; nec si forent, eadem hominem deceant, placidum, proximumque divino genus. Quæ tanta vos fert ira, cum una stirps, idemque sanguis sitis? vel quæ furia in mutuum sanguinem egere?* Parentes, inquit Tullius, (30) carissimos habere debemus, quod ab his vita, patrimonium, libertas, civitas tradita est. Et Plato: *Fas est, ait, parentibus prima & maxima debita, omnium antiquissima debitorum, persolvere; putare enim quisque debet, omnia quæ possidet eorum esse, qui genuerunt, & educarunt.* Vnde pulchre Diogenes ille Cynicus, vt Laertius (31) recenset, quemdam qui patrem despiciebat videns: *Non te pudet, inquit, eum contemnere, cui debes hoc ipsum quod tibi placeas.* Cur ergo à filijs hanc, quam naturali iure debent, antidoralem obligationem (32) non exigemus? aut cur non solum non præstitas educationis vices, sed creptam parentibus vitam, quam omnino curare debuerant, severissimis poenis non vindicabimus? cum talia fecerint, *qualia*, vt Iustiniani (33) verbis utar, *irrationabilia etiam amovent animalia.* Nota est namque insignis Ciconiarum in parentes pietas, quæ, vt Iulius, Solinus, (34) & alijs plurimi auctores retulerunt: *Quantum temporis impenderunt fætibus educandis, tantum & ipsæ a pullis suis invicem aluntur.* Vnde & à pietate apud Hebræos nomen Chasidim ipsas invenisse admonet Petrus Faber. (35)

(28) Cœl. Rhod. lii. 11. lect. ant. c. 18.

(29) Senec. lib. 2. contr. i.

(30) Laert. in eius vita.

(31) L. sed si, §. consuluit, de petit. hered. l. si pignore 56. de furt.

(32) Iustin. in auth. de incest. nup. vbi sic legendum est, non admittent ut perperam Acc. & Fortun. qui valde involvit in l. i. §. ius natur. vers. ex his etiam, de iust. & iur.

(33) Solin. in Poly histore. c. 43. Plin. lib. 10. c. 23. Elian. de var. histor. li. 16. (34) Pet. Fab. lib. 3 Semest. c. 13.

Et

Et à Petronio Arbitro, (36) Pietati cultrices, dicuntur. Et à Divo Ambrosio (37) ex Romanorum vsu piaæ aves cognominantur. Cuius verba, quæ meritò autea Baptista Pius (38) appellat, præteriti nisi impiè, non possunt: Aves, inquit, non erubescunt reverendi senis membra portare. Est enim vetutaria pietas, quod eò usque frequenti testificatione percrebuit, ut congruè mercedem remunerationis invenerit. Nam Romanorum vsu pia avis vocatur: & quod vix vni Imperatori Consulto Senatus delatum dicitur, hoc istæ aves in commune meruerunt. Pios enim filios, patrum prius oportuit iudicio prædicari. Habent etiam & universorum suffragia: nam retributio beneficiorum ἀντινελαπτούσις dicitur, πελαπτός enim Ciconia nominatur. Sed vt Andreæ Alciati (39) nobilissimum de hac re emblema præteream, & nihil de Meropibus dicam, quæ vt Aristotel. (40) Älianus, & alij testantur, hac etiam iustitia, sive pietate longè latèque præstant, & parentes non senescentes modò, verùmetiam simul ac datur facultas, exire è nido non sinunt, & educationis vicem reddentes proprijs, laboribus pascunt: Non possunt non aptissimam, his, quæ de filiorum erga parentes pietate retulimus, Magni Aurelij Cassiodori (41) epistolam subdere, quæ, verè fateor, summo me gaudio delibutum reddidit, & mirabili voluptate perfudit, nec minori, vt arbitror, lectorem perfundet. Ea igitur, vindictam ab impijs filijs omnino sumi debere, his elegantissimis verbis ostendit.

SYMMACHO PATRICIO THEOD. REX.

Quis possit accusare iam reliqua, si pietatis nomina probantur esse crudelia? Negligitur levis reatus, cùm tragædia criminis magna tonuerit, nec aliquis nititur, quod parvum est vindicare, si delicta summa respiciantur evadere. Inimicum trucem ratio ipsa professionis ostendit, iratum plerumque poteris invenire collegam. Inobedientem vero filium declinare pœnas non permittit humanitas. Ubi est illa naturæ vis, quæ amplexu copulæ destinatur ad posteros? Ferarum catuli sequuntur parentes, à cespite suo virgulta non discrepant, propago ritis propria servit origini, & discrepat homo à suo fusus initio! Quid dicamus illa beneficia, quæ vel extraneam possunt obligare per-

(36) Pet. Arb. in satyr.

(37) D. Ambros. in exam.lib.5.

(38) Baptst. Pius annot.c.69.

(39) Ale.embl.30
& vide Cœl. lib. 11.
c.17. Petr. Cris. de
hon.disc.lib.4.c.13
Sim. Marol. in dieb.
canic. colloqu. 6.
pag.223.(40) Arist.de ani.
lib.9.cap.13. Älian.
lib. 11. de animali.
cap.30. Plin lib. 10.
capit. 33. Suid. in
ἀντινελαπτούση Pet.
Fab.supr.(41) Cassiod.lib.2.
epist.4.

sonam? Nutriuntur à parvulis, ipsis laboratur, ipsis divitiae conquiruntur: Et cùm sibi unusquisque credat abundare quod possidet, cum à patribus adhuc queritur, pro altera potius atate peccatur. Proh dolor! non merebimus eorum affectum, pro quibus subire non recusamus exitium? Maria ipsa saevis tempestibus excitata, genitoris cura non refugit; ut peregrinis mercibus acquirat, quod propriæ soboli derelinquat. Aves ipsæ, quarum vita semper in escis est, naturam suam extraneas orde non maculant. Ciconia redeuntis anni iugiter nunciatrix, eis ciens tristitiam hyemis, lætitiā verni temporis introducēs, magnum pietatis tradit exemplum. Nam cùm parentes eorum pennas senio coquente laxaverint, (42) nec ad proprios cibos querendos idonei potuerint inveniri, plumis suis genitorum membra frigida refoventes, escis corpora lassa reficiunt. Et donec in pristinum vigorem alis grandæva redierit, pia vicissitudine iuvenes reddunt, quod à parentibus parvuli susceperunt. Et ideò non immeritò longa vita servantur, qui pietatis officia non derelinquent. Perdicibus etiam mos est, ova perdit aper alterius matris damna sarcire, vt adoptione alienæ sobolis, in commoda suæ reparèt orbitatis; sed mox ut nati fiduciam habere cœperint ambulandi, ad campos exeunt cum nutrice, qui refuerint materna voce commoniti, ovorum suorum potius genitricem petunt, quamvis ab alijs, furtivis factibus, eduentur. Quid ergo homines facere debebunt, quando & hanc pietatem avibus inesse cognoscunt? Romulum itaque, qui facti sui acerbitate pollutus, nomen fœdat Romanum, ad vestrum facite venire iudicium. Et si eum patri suo Martino manus inieciisse constiterit, protinus legitimam sentiat ultionem; quia ideò elegimus mores vestros, quia crudelibus parcere non potestis. Quādogenitus pietatis est, in illos distingere, qui contra naturæ ordinem, sceleratis se docentur actionibus miscuisse.

Hæc Cassiodorus. Cuius elegantissimis verbis similia alia Antonij Sabellici, (43) & plurimi pientissimorum filiorum erga patres exempla, lectori forsitan non ingrata, subiicerem, nisi id iam autea diligenter præstissem Iacob. Menochius, (44) & vt Polybius (45) ait: Minime necessarium esse putarem, vt de his quæ recte, & à multis dicta sunt, denuo sermo habeatur.

CA-

(42) Lassaverint reponendum contendit Christoph. Colerus parerg. ca. 30.

(43) Ant. Sабell. memorab. tit. de piet. in parent.

(44) Iacob. Menoe. Lib. 6. præsump. p. Torres in philos. princ. li. 4. per tot.

(45) Polyb. li. 1. in princip.

CAPUT TERTIVM.

Naturales quoque, & extra matrimonium procreatōs liberos, aequē ac legitimos parricidij teneri. De spurijs & incestuosis quosdam contrā sentire. Nos pluribus in utramque partem expensis, nullam quoad hunc casum liberorum differentiam faciendam serio docemus. Naturam aequalēm filiis omnibus esse. Nullum parentem à filio in ius vocari permitui, quidquid alij opinentur. De spurijs plura scitu non indigna.



ATURALEs liberos, hoc est, qui citra matrimonium generantur, nulla à legitimis distinctione, quoad fœdus naturale, discerni, multis in locis

Iustinia. (1) admonuit. Nēque id sine magna & gravi ratione, siquidem lex civilis, aut legitimorum solemnum defectus, naturæ vim mutare, aut stimulos naturales retundere nequit: (2) Vnde Dionysius senior, apud Plutarch. (3) nullo iure civili, nec ipsa quidem principis auctoritate naturalia iura dirimi posse dicebat. Quò sit, vt cum parentum veneratio, debitāque eis à filijs pietas, ex ipsis naturæ fontibus scaturiat, sitque lex hæc, qua colere & suscipere parentes iubemur, vt Cicero (4) alias inquit. Non scriptae sed nata, quam non didicimus, accepimus, legimus, verū ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus; aequē naturales liberi, ac ij, qui ex iustis nuptijs procreati fuerint, parricidij poena teneatur. Quod concors scriptorum omnium schola (5) recepit, & non inefficacibus argumentis probari potest. Videmus namque iura, quæ cullei poenam asperrito huic criminī irrogandam statuunt, naturali parentum appellatione vfa fuisse, & personas quæ in hoc incident scelus naturaliter designasse, quo casu non civilium legum dispositionem, sed natuam ipsam inspicimus, vt ex Paul. (6) responso colligitur. Rursus, & si naturalium, & legitimorum parentum inæqualis sit erga filios potestas, tamen vt verbis vtar Vlpiani, (7) pietas eis aequalis debetur, atque ideo in

(1) Iustinian. auth. quib. modis. nat. cf. leg. §. si quis verò nō habens. & auth. quib. modis eff. s. si quis ergo filios.

(2) L. eas de cap. min. §. sed natura- lia inst. de iur. nat. i. amicissimes 36. §. Lucius, de excus. tut.

(3) Plut. in Apophthegm. reg. & imp.

(4) Cic. de defen- sione, loquens pro Mil.

(5) Ut constat ex relatis à Greg. Lop. in d.l. 12. verbal si jo. Iul. Clar. §. parricidium, nu. 1. Plaz. de delict. et. 1. in d. 2 Vel. c. 27. n. 2. Tiraq. de pecc. tem. caus. 20. hu. 12. & in l. si vna quam, verb. do in at. lareit. n. 1. 235. Fortu. Garcia de vlt. fin. illat. 2. Ant. Go. 3. te in c. 2. nu. 3. & Tiber. Dec. lib. 9. cri- min. ca. 8. nu. 8. qui idem tradit in pa- tre nat. occidente filium.

(6) Paul. in I. tute las, de cap. min. i.

(7) Vlp. in I. 4. de curat furios.

(8) L. 4. D. de in ius vocan. I. fin.C. eodē , & de modo vocan. in ius vide.

(9) d.l. 4. in fin.

(10) Paul. in l. parentes 6. de in ius vocan.

(11) Idem Paul. in l. adoptiv. 14. vers. vnde nec vulgo, D. de ritu nupt.

(12) Princ. inst. de nupt. I. cum ancill. C. de incest. nupt. I. quod attinet, de reg. iur.

(13) Venul. in l. hos accusare 12. §. item nec lex, D. de accusat.

(14) Alciat. lib. 4. parerg. c. 5. Merce. li. 2. opin. c. 7. Cōna. lib. 2. c. 16. nu. 2. Pa-leol. de noth. c. 17. & 18. Mant. in En-chir c. 182.

(15) Paul in l. quia semper , de in ius vocan. I. filium eū, de his qui sunt sui.

(16) Modestin in l. vulgo 23. de stat. hom.

(17) Iust. in §. pe-nult. In l. de nup.

(18) Plut. in probl.

(19) Ant. Concius li. 2. successivarum lect. c. 11. & Hott. in disp. de spurijs, & omnino vidēd. Cuiac. lib. 5. obser-vat. cap. 6.

(20) Sylvest. in d. §. pœn.

(21) Laert. in vita Aristippi.

edito de in ius vocando, quo pudori parentum parcitur, (8) ne violenta illa manus prehensione, & obtorto collo rapi in ius à liberis possent, naturales etiam parentes hoc privile-gium habere Vlpianus (9) ex Labeone nos docet; & apertius Iul. Paul. (10) reddit, quæ maximè ad rem nostram condu-cit, ratione, sic inquiens: *Parentes naturales in ius vocare ne-mo potest: vna est enim omnibus parentibus servanda reveren-tia.* A quo non longè abest quod ipse Iulius Paul. (11) alibi tradit: *Vulgo quæsitam filiam, naturalem patrem ducere vxo-rem non posse: Quoniam in contrahendis matrimonij, natura-le Ius & pudor inspiciendus est, contra pudorem est autem, fi-liam vxorem suam ducere.* Denique in ipso de quo agimus criminis, servum, licet nec civiles, & legitimas nuptias, (12) sicut nec alia, quæ iuris erant Romani, cognoscat, à filio tam-amen occissum, lege Pompeia de parricidijs vindicari, Ve-nuleius (13) Iurisconsultus scribit: *Sed cum natura, inquit, communis est, similiter & in eos animadveretur.* Nèque ad-versatur, quod naturales liberi, præsertim non ex concubi-na domi retenta, sed vulgo concepti, atque procreati, quos vt Andreas Alciatus, (14) & alij observarunt, *Nothos appelle-lare solemus, patrem habere non intelligantur,* atque ita nè-que particidium committere possint: cùm vt Paulus (15) ait: *Pater is tantum sit, quem nuptiae demonstrant.* Et vt Mo-destinus: (16) *Vulgo quæsti patrem demonstrare non possint.* Vnde proverbiali carmine dicitur.

Cui pater est populus, non habet ille patrem.

Et filij isti, si Iustiniano (17) credimus, incertum patrem ha-bent, & spurij solent appellari, quasi sine patre filij, eo quod olim, vt scribit Plutarchus (18) (quamvis Antonius, Con-cius (19) alias Etymi rationes inquirat) spurius his notis. S. P. designari soleret, quasi patrem non habens, vnde spurijs nomen ei inditum est. Non quia filij sine patre esse vlla ra-tione potuerint: sed quia, vt Sylvester Aldobrandinus (20) eleganter cum Theophilo notat: *Ob numerum eorum, qui cum matribus eorum consuetudinem habent, patres habere non intel-liguntur.* Quamobrem Aristippus, auctore Laertio, (21) cum illi meretrix diceret, abs te gravida sum facta: nihilo

(in-

(inquit ille) magis hoc nosti, quam si super spinas densissimas incedens diceres: Ista me pupugit. Diogenes autem, eodem Laertio (22) teste, conspicatus meritricis filium, lapidem in turbam conijcientem: Cave, inquit, ne patrem ferias. Quo respicientes Athenienses, Cecropem, qui primus vnam vni iunxit in matrimonium, & concubitus vagos coercuit, duplicitis naturæ, vt Suidas, (23) & Athænæus memorant, esse finxerunt; vt superiore parte virum referret, inferiore fœminæ speciem ostenderet; significantes per matrimonium homines non matrem tantum, sed & patrem etiam cognoscere posse. Nam etsi quoad civiles effectus patriæ potestatis, & successionum iura, hæc omnia quæ diximus vera sint, & vulgo suscepti filij pro non filijs sint, & patrem habere non videantur. Quoad reverentiam tamen, & obsequium parentibus debitum, & reliqua alia, quæ ex natura ipsa descendunt, naturales liberi nihilo à legitimis differunt, (24) & violatæ pietatis poenas æqua lance perpeti debent. Cum interdum, & ipsi vehementius quam legitimi à parentibus diligentur, vt Pelopæ, & Hebij exemplis adduictis ostendit Plutarch. (25) Cùmque non deficiant in iure, vt Paleotus, (26) & Mascardus docent præsumptiones, & argumenta, quibus filiorum etiam naturalium pater cognosci, & probari plenissimè queat. Nèque oporteat meliorem esse causam naturalium quam legitimorum, & contra Iustiniani (27) sanctionem, plus habere castitate luxuriam. Ex quibus explodenda est Bart. (28) Imolæ. Angel. Alex. & aliorum opinio, qui incestuosos filios, & ex illegitimo coitu procreatos, parridij crimen nequaquam incurtere constanter defendant. Nam etsi hi patrem quoque habere non censemantur, quòd tales habeant quem habere non licet, vnde & ex Solonis legibus nihil parentibus debebant, à quibus solam infamia labem accepissent, quæ apud Athenienses, vt Claudius Minoes (29) refert, adeò gravis existimabatur, vt locum quemdam haberent quo spurij seorsum ab ingenuis exerceri essent soliti, quem Cynosargem appellabant: nam contaminari nobilitatem spuriorum consuetudine verbantur. Adhuc tamen ego in contrariam sententiam ma-

(21) omnia (o)

(22) Idem in Diog. Cyni.

(23) Sui in Kenya Athen lib. 1. c. 1. quamvis Cœl Rho. lib. 1. lect. antiqua. 14. aliam huius rei causam tradidit.

(24) Ut constat ex sup. citat. iuribus, & ex auctoribus congestis à Tiraq. d. caus. 20. nu. 12.

(25) Plut. in parallel.

(26) Palest. de not. & spur. c. 26. Masc. de prob. concl. 791 (27) Iust. in auth. de rest. & ea quæ parit. §. fin.

(28) Bart. in I. Divus, de parr. Imol. in l. ex facto. §. si quis rogatus, ad Trebel. Alex. in d. I. Divus, & in conf. 143. vol. 1. Iaf. in §. poen. nu. 61. inst. de act. Specul. in tit. de accusat. §. 1. & alij relati à Plaz. d. c. 22 num. 12. Per Gerar. sing. 2. in fin. Tiber. Dec. li. 9. crim. c. 15. num. 30.

(29) Claud. Min. ad embl. Alc. 138.

(30) Bald. inc. i. §. naturales sive feu. fuer. contr. inter dom. & vass. Greg. in d. l. 12. par. verb. al fijo. Covarr. qui alios refert de spō sal. 2. p. c. 8. §. 6. nu. 2 Plaza d. c. 22. nu. 12. & 13. Fortun. de vlt. fin. illat. 7.

(31) d. l. hos accusare. §. omnib. D. de accusat.

(32) Auth. ex cōplexu. C. de incelt. & nefar. nup. quā conatur à duritia defendere Madera animad. c. 32.

(33) Conuan. d. lib. 2 c. 16.

(34) L. & nihil 54 D. de rit. nup. c. discretionem, de eo qui cogn. consang. vx. suae. Vide Tiber. Dec. li. 9. crimin. c. 9 n. 11. qui hinc servorum filios parr. teneri ait.

(35) D. Aug. de bono coniug. c. 16. relat. in cap. sicut 32. q. 4.

(36) cap. cum haberet, de eo qui dux. in matr. Socin. conf. 161. Covarr. sup. Paleor. de not. c. 48.

(37) L. i. §. ius nat. D. de iust. & iur. princ. inst. de iur. nat. c. ius naturale. 1. dilt.

(38) Accurs. in l. quia semper de in ius vocan.

(39) Angel. in §. pœn. instit. de act.

nibus, & pedibus eo; & filios, quantumvis incestuosos, & ex damnato coitu generatos, parricidij reos esse posse, cum Baldo, (30) Greg. Lopez, Covarruv. Plaza, & alijs verius existimo. Communis namque est, vt diximus, omnium filiorum natura, (31) & hēc lex civilis huiuscmodi liberos tantum abhorreat, vt nèque ali à parentibus debeat; (32) tamen vt graviter & docte inquit Franc. Connarus: (33) *Lex naturæ nullis se angustijs includi passa est, eodemque iure filios omnes, quomodocumque nati essent habuit. Tam pater est eius instituto, qui ex concubina, meretrice, ancilla, consobrina, quā qui ex iusta uxore liberos suscepit. Vnde & ex simili coitu, naturalis coniunctio, & affinitas nuptias prohibens, nascitur,*

(34) & filius quamvis per incestum susceptus, non ideo filius esse desinit, quoniam, vt ait Augustinus: (35) *Semen hominis ex qualicumque homine Dei creatura est: & eo malevolentibus, male erit, non ipsum aliquando malum erit. Quò fit, vt & ali ex Pontificijs decisionibus debeat, (36) iuxta iuris naturalis præcepta, (37) & omnino, eodem iure dictante, parentibus obedientiam & pietatem præstare teneatur, pariterque ac legitimus, si asperrium parricidij crimen commiserit, cullei poena plectatur. Nèque turbor Accursij (38) sententia (quæ supradictos auctores decepisse videatur) existimantis, incestuosos, & illegitimos, sive adulterinos liberos, non teneri reverentiam parentibus exhibere, atque adeò illos sine venia in ius rapere posse: nam et si Accursij iudicium, Angelus, (39) & Zassius commune esse testentur, contraria tamen opinio magis iuris regulis consentanea videtur; nèque enim frustra Paulus (40) generaliter loquitur, dicens: *Una est enim omnibus parentibus servanda reverentia, nisi vt quoscumque parentes à quibuscumque filiis vocari non posse significaret, prot contra Accursium optimè cum Azone, (41) Iason defendit, & eleganter Fortun. Garc. & Sylvest. Aldobrandinus. Et cum patronum etiam ex fideicommissi causa inanumittentem, ob solum libertatis beneficium in ius vocari Prætor prohibeat, (42)**

cur

Zassius in l. 4. §. prætor ait, D. de in ius vocan. (40) Paul. d. l. parent. de in ius vocan.

(41) Azo in sum. C. de in ius vocan. Iaf. d. §. pœnal. nu. 61. Fort. Gar de vlt. fin iur. illat. 7. vers. quinimo contrarium, Sylvest. d. §. penult. inst. de nup. (42) L. 4. & 1. is cui 9. D. de in ius vocan.

cur non quincunque parentem, à quo filius habuit ut vi-
veret, eodem honore donabimus? Præsertim cum ipsa gra-
vitate, vt Maynus (43) considerat, ætatemque plerumque
grandiori, parentes commendentur; quod nedum filios, ve-
rum & extraneos quodammodo ad reverentiam inducit.

(43) *Lud. Mayn. lii.
2.act.c.44.*

Vnde Ovidianum (44) illud

(44) *Ovid.5.fasti*

*Magna fuit quondam capitum reverentia cani,
In que suo pretio ruga senilis erat.*

Cui adstipulatur Iuvenal. (45) dum inquit:

(45) *Iuven. saty. 13*

*Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuvenis vetulo non affurrexerat, &c.*

Et alia quæ de senectutis veneratione Corras. (46) Connan.
Tiraquel. & alij scripserunt. Quibus addo, quod de nothis
in hunc sensum scribit Euripides: *Nothum genus habet no-
men culpabile, natura verò æqualis est.* Planè adoptivi filij cùm
in eis ea cessent, omnia quæ supra retulimus, parricidij non
tenebuntur, vt doctè, & late Tiberius Decianus (47) obser-
vat.

(46) *Corras. de iu-
re civil. in artem
red. 2.p.c.6. Connan.
1.comm. c.9.nu.3.
Tiraq. de nob. c. 19.
& de primogen. in
præfat. à n. 75. Ma-
deria de las excel.
de Espana, cap. 3.
in princ.*

(47) *Tiber. Decian.
lib.9.crim.c.9.n.5.*

CAPVT QVARTVM.

Proscriptum Patrem, quem bannitum vocant, à filio citrā par-
ricidij crimen, quidquid alij arbitrentur, occidi non posse.

Hoc varijs rationibus & exemplis corroboratum. Limitari
tamen ubi pater in patriam, aut Principem aliquid hostili
animo moliretur, nec alia remedij via daretur. Expendun-
tur in hanc rem elegansissima Marcelli, Ciceron. & alio-
rum testimonia. Patriæ nos plus quam parentibus debere.
Maiorem parentem à Varrone appellari. Qui obiter decla-
ratur. Hoc etiam exemplis ad structum.

LL V D etiam magnis scribentium concertatio-
nibus disputatur, an filius citra parricidij crimē,
proscriptum patrem (quem Bannitum vocant)
occidere possit? In qua quæstione, aientium, &
negantium auctorum sententiæ reperiuntur, quos vt com-
pendio referam, Ludovicum Carrerium, (1) Petrum Pla-
zam, & ab eis omisum Tiraq. allego. Sed tandem in eam

(1) *Carrer. §. de ho-
micio, ver. 9. que-
ro, nu. 26. Plaza de
delict. c. 22. nu. 14.
Tiraq. de poen. tem.
caus. 20. nu. 6. & 7.
Catel. Cor. in memo-
rab. ver. Bannitus,
el 3.*

magis frequens eorum numerus convenit, quæ distinctione adhibita medium quodammodo viam sequi videtur, ut si ob maiestatis crimen, vel patriæ proditionem proscriptus fuerit pater, impunè occidi à liberis posse, si vero ob aliam causam, non ita.

(2) *Bar.* in l. si adulter. §. liber. de adult. & in l. minime de relig. *Ange.* in auth. deinceps. nup. in princ. *Ioan.* de Portona. in l. qui servum, de verb. *Paulus Castr.* in l. i. §. ius autem, de ius. & iur.

(3) Ut constat ex *Carrer.* & *Plaza* vbi supr.

(4) L. postlimin. §. si ius, de captivis.

(5) L. ius autem, D. de pact. l. iura sanguinis, de reg. iur.

(6) Quos refert *Tiraq.* sup. n. 8. cum sequent. *Meno.* de arbitr. q. 20. nū. 45. & relati à *Cened.* in collect. 20. ad decretum, num. 2.

(7) Leg. non quid quid, de iudic.

(8) *Agellius* lib. 5 noct. attic. c. 13.

(9) *Modest.* in l. si adulterium, §. libert. D. ad leg. Iul. de adult.

(10) *Paul.* in l. 2. D. de receptator.

(11) *Valer. Maxim.* lib. 9. cap. 11. *Cœl.* *Rhod.* libr. 11. lect. ant. c. 17.

(12) *Appian.* lib. bellorum civil. 4.

Quæ opinio Bart. (2) Angelo, Paulo Catrensi, & antiquioribus alijs arrisit, & communis omnium fere recentiorum ore probatur. (3) Mibi vero (tantum pietati tribuo) etiam in hoc casu filio patrem occidere nequaquam licere, magis arridet; nam & si lex civilis, publicos hostes, & maiestatis reos, cognationis & agnationis iuribus & effectibus privet, (4) naturalis tamen sanguinis qualitas, & debita parentibus pietas nullo pacto aboleri, nulloque iure dirimi potest, ut passim Iureconsulti testantur, (5) unde & alimenta his proscriptis, à filiis deberi, & reliqua omnia, quæ naturalem causam habent, manere eis in columnia, licet adversentur plures, plurimi alij fatentur: (6) Et quamvis occidendi proscriptum, sive perduellionis damnatum, potestas omnibus fiat; cum tamen id necessitatibus non subiectiatur, quod potestati, seu voluntati committitur, (7) non omnino impium filij facinus impunitum relinquere debere censerem, qui de patris vita, pro qua optimum consilium capere debuit, tam iniquum sumpsit arbitrium. Cum neque patronum (cui patrem preferri, vel Agellij (8) testimonio probatur) impunè possit libertus etiam in casu permisso, ut *Modestinus* (9) docet, vita privare: neque (ut in receptatoribus *Paulus* (10) scribit) par sit eorum delictum, qui nihil ad se pertinentes homines occidentint, & eorum, qui non affines quidem, vel cognatos, sed patrem ipsum pro quo mori debuerant, interfecerint. Unde meritò à *Valerio Maximo*, (11) & alijs, cuiusdam filij crudelitas execratur, qui patrem tonantibus bellis civilibus proscriptum, & apud clientulum secure latenter, militibus prodidit, eoque nomine à sanguinarijs tribunis, patris bona, delationis præmium accepit. Contraria vero eum eximis laudis, & pietatis encomijs *Appianus* (12) extollit, qui in trium-viralis proscriptionis turbine, senio iam effectum patrem Oppium nomine, utque manere licet deprecantem, non prius dereliquerit, quam extra portam

urbis tutò sistere posset; indèque humeris impositum Siciliam usque, indefesso animo, cui paternus amor vires suppeditabat, perduxit in columnam. Sed nèque minoribus laudibus, ignobilem quamdam & humilem puerperam, Valerius (13) prosequitur, quæ cum matrem supplicij causa, carcerem, ubi ut fame periret damnata erat, inclusam haberet; cum impetrasset a ianitore auditum, semper excussa, ne quid inferret cibi, vberibus suis eam alens tandem inventa fuit; quo miraculo, ut Plinij (14) verbis utar, matri salus donata filia pietate est, ambaque perpetuis alimentis: & ille locus eidem consecratus est Deæ, C. Quintio, &c. Attilio Conf. templo Pietatis in illius carceris loco structo. Ergo quidquid integrum collegium tenuerit, cui hanc questionem fuisse à civitate Tudertina commissam Bart. (15) refert, & quidquid in Baldazo quodam usu venisse, qui patrem proscriptum impunè necavit, memoret Alexand. (16) ego adduci non possum ut credam, filio, etiam in hoc casu, patris necem impunè cessuram. Quod è constantiùs defendo, quod videam mecum Angelum, (17) Decium, Fortun. Gare. & Didacum Covarruv. sentire, & eandem opinionem probare. Necnon Cæpolam, (18) qui quod plus est, extraneos opem filio dantes, hoc in casu teneri vult, quamvis alias neutiquam tenerentur. Planè si pater aliquid contra patriam, vel patriæ parentem Principem hostili animo molitur, aut etiam in catholicæ fidei perniciem, qua violata vix potest villa Resp. in columnis esse, aliquid tentare præsumat, non dubitarem filium absolvere, qui ubi nihil rogando profecerit, patris scelus vel detulerit iudici, vel desperatis rebus, & nulla alia remedij forma relicta, in illum manus iniecerit. Hoc namque concors omnium utriusque iuris interpretum schola (19) confirmat, & efficacissima ratione defenditur, quippe quod non possit pater in Rem publicam facere, quin simul filio vim & iniuriam inferre videatur, quam etiam contra patrem propulsare licere, omnes cum Florent. (20) testantur. Vnde in Apolog. Tertul. In reos, inquit, maiestatis, & publicos hostes omnis homo miles est. Et eum minimè parentis loco habendum, nèque ut talem lugendum Marcel-

(13) Valer. li. 5. c. 4
 (14) Plin. li. 7. c. 36
 (15) Bart. in d. l. si adulterium, §. liber. D. de adult.
 (16) Alex. ad Bar. in d. §. liber. Corra in mem. verb. bannitus, cl. 3.

(17) Ang. in d. §. liberto. Decius in c. quæ in Ecclesiarii, n. 14, de consil. For tun. in l. veluti c. col um. vers. ex superioribus. Covarr. de spons. c. 7. §. 7. u. 5. & in c. Rainu. in initio, n. 9.

(18) Cæpol. conf. 5 num 29. cum seqq. quem refert, & se quitur Tib. Dec lib. 9. crim. c. 13. n. 6.

(19) Ita tenent Fortun. Covarr. & supradicti omnes, Carrer. tt. de homi. vers. 9. quer. n. 27 Plaza d. c. 22. n. 15. Simantes in cathol. instit. tit. 29. n. 35. cum multis sequen tib. Pet. Gerar. sing. 2. Mant. sing. 155. & in Enchirid. c. 2. 42. Dueñas regul. 686. anglia. & latè Cne do collectan. 20. ad decet.

(20) Flor. in l. ut vim, de iust. & iur.

(21) *Marc.in l.mi nimè 35. de relig. vide omnino Du-*
rant. Casel.2.var.c. 3.& Tth. Decian.sup. c.15.nu.9.& 10.
 (22) *Tull.3.offic.*

lus (21) admonuit: *Qui ad patriam delendam, & parentes, &*
liberos interficiendos venerit; quod si filius patrem, aut pater
filium occidisset sine scelere, etiam præmio afficiendum. Id
quod elegantissime Marcus Tullius (22) expresit, sic in-
quiens: Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere cona-
bitur pater, silebit ne filius? Imò vero obsecrabit patrem ne id
faciat; si nihil proficiet, accusabit, minabitur etiam, ad extre-
mum si ad perniciem patriæ respectabit, patriæ salutem ante-
ponet saluti patris. Etenim ut multis Iurisconsultorum (23)

(23) *L.1. §. sed si servus, de vent. inf*
pir. l.1. §. generali- ter, de vent. in pos. mitt. l.3. §. quod pa- ter, demun. & ho- nor.

(24) *Pomp.in l.ve luti, de iust. & iur.*

(25) *Fortun.in d.l. veluti, col. 10.*

(26) *Plato in Crit.*

(27) *Cicer.1.offic.*

(28) *Stob.serm.37*

(29) *Varro relatus à Nonio.*

(30) *Coler.parerg. c.34.*

(31) *Cicer.lib.1. de Repub.*

(32) *Valer.lib.5.c. 6.in princip.*

(33) *Valer.d.lib.5 c.8. Florus lib.1.c.9. Aug. de civit. Dei, lib.3. ca.16. Pollicr.*

liberos interficiendos venerit; quod si filius patrem, aut pater
 filium occidisset sine scelere, etiam præmio afficiendum. Id
 quod elegantissime Marcus Tullius (22) expresit, sic in-
 quiens: *Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere cona-*
bitur pater, silebit ne filius? Imò vero obsecrabit patrem ne id
faciat; si nihil proficiet, accusabit, minabitur etiam, ad extre-
mum si ad perniciem patriæ respectabit, patriæ salutem ante-
ponet saluti patris. Etenim ut multis Iurisconsultorum (23)
testimonijs cavetur, non parentibus tantum, sed præcipue
Reipublicæ nascimur; quam in pari causa præferri debere,
quicquid litteræ ordine Pomp. (24) parentes præponat, op-
timè post longam disputationem concludit Fortunius, (25)
& ex Platonis (26) sententia colligitur, à qua non longè Ci-
cero (27) abest, & alij ex Græcis Philosophis, quorum verba
late congerit Stobæus. (28) Vnde Varro (29) scitè admo-
dum, patriam maiorem parentem appellat, sic inquiens: Si
qui patriam maiorem parentem extinguit, in eo culpa est; quod
facit pro sua parte is qui se eunuchat, aut aliqua liberos produ-
cit; vbi ut hoc obiter animadvertis, verbum producit, non
procreat significat, sed differt, & impedit, ut & verba præce-
dentia suadent, & rectè Christophorus Colerus (30) prævi-
dit. Sed & Cicero (31) non minus venustè antiquorem, si
ve potiorem parentem patriam dixit: Sed quoniam, inquit,
plura beneficia continent patria, & est antiquior parens quam is
qui creavit: maior profecto ei, quam parenti debetur gratia.

Valerius (32) quoque hoc idem non inelegantioribus ver-
 bis edocuit: *Arctissimis, ait, sanguinis vinculis pietas sa-*
tisfecit; restat nunc, ut patriæ exhibeatur: cuius maiestati,
etiam illa, quæ Deorum numinibus æquatur, auctoritas paren-
tum, vires suas subiecit, fraterna quoque charitas æquo animo
ac libenti cedit, summa quidem eum ratione; quia eversa domo,
intemperatus Reip. status manere potest: urbis ruina, penates om-
nium trahat secum necesse est. Et sanè nèque exemplis desti-
tuimur, quibus præstantiorem esse patriæ, quam parentum,
aut liberorum causam manifestetur. Nam Lucium Brutum,
Valerio, (33) & alijs referentibus, legitimos filios suos Tar-

qui-

quinij dominationem à se expulsam revocare conantes, cōprehensos, pròque tribunali virginis cæsos, ad palum religatos, securi percuti iussisse. Cuius exemplum Darius, & alij, quorum Plutar. (34) meminit sequuti sunt: Et vt interim Epaminondam, Manlium Torquatum, & Postumium Tiburtium omittam, qui filios, vt passim tradunt auctores, (35) ob militiæ ordinem non servatum morti dedere; quò forte respexit Paulus, (36) dum ait: *Disciplinam castrorum antiquorem fuisse Romanis, quam charitas liberorum; silentio Avidij Cassij memorabile factum involui non potest, qui filium Tribunum, qui legem Agrariam primus tulerat, multisque modis populariter hominum animos sui amore devinctos tenebat, ob affectati regni crimen domi damnavit, verberibusque affectum necari iussit, ac peculium eius Cereri consecravit, vt Plinius, (37) Florus, & alij prodidere. Marij quoque, & Erechthei consimile factum narrat Plutar-*

(34) Plutar. in parallel.c.23. & seq.

(35) Plutar. sup.c.

13. Plin lib.34.c.4.

Agellius lib.9.c.13.

Valer.sup. & lib.2.

cap.7.

(36) Paul.I.C in I.

postilinium, §.

filius, de captiuis,

CAPVT QVINTVM.

Expositum etiam filium, & à patre quavis occasione relictum, si agnatum patrem occiderit, parricidij teneri, contra omnes defendimus. De expositis liberis plura. Thebanorum, Romanorumque de exponentibus leges. Naturaliter etiam male meritis parentibus ob solum vitæ beneficium, pietatem à filijs deberi. Hoc Valerij, & Ciceron. verbis, & Manlij Torquati exemplo probatum.

VPRA DICTIS proximè quæstio illa videtur accedere, an filius qui patrem occiderit, à quo sanguinolentus, id est recens natus expositus sit, vel postea languidus, & infirmus sine iusta causa in xenone, seu hospitali relictus, parricidij poena, vel ordinario tantum homicidiij supplicio veniat afficiendus? Et quidem

in-